ſum et impleri chartam. Vale cum dulciſs. con-
juge et liberis. Bremæ 4. Cal. Martij 1582. Bremæ
ſalutem dic bonis et imprimis V. ſtræ familiæ

Amicus tuus.

Johannes a Molang.

Reverendo et clariſsimo viro, eruditione
ac pietate præſtanti Dn. Martino Ke-
mnitio S. Theologiæ Doctori et Su-
perintendenti Eccleſiæ Brunsvicēn-
ſis vigilantiſsimo D. ac patri ſuo
in Christo unicè colendo. 5Vj

Cenſura de Apologia lib. concordia.

Salutem à filio Dei, Reverende et clariſsime
Doctor, pater in Christo obſervande, verè magna
ignea est, in ea ærumna nostra ampliſsima et dul-
ciſsima Filii Dei promiſsio: Ego vobiſcum ſum
omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi.
Quotidie enim experimur, non aliter ac ſi
manibus contrectaremus filium Dei præſentem
nos et totum Eccleſiæ coetum divinitus protegi,
defendi et foveri. Quam immane ſit mundi odium
adverſus Eccleſiam et cœleſtem veritatem: quam
multiplices et indefeſsi conatus Calvinistarum
ad opprimendam ſinceram de majeſtate Christi fi-
lii hominis et corporali eius præſentia in ſacroſan-
cta cœna doctrinam vel nobis tacentibus manife-
stum omnibus est. Et tamen Filii Dei præclaro
beneficio et liberè ſonamus cœleſtem doctrinam
et corruptelas aperte refutamus, atque auditores
nostros ſalutari imbuimus doctrina et glo-
riæ Christi filii hominis illustrandæ operam
nostram locamus. Horum ingens ſit Christi
beneficium, in quo et illi qui fideliter ſapien-

tia et protectio conspicitur, nos ejus bonita-
tem initio harum literarum gratis pectori-
bus haud immerito celebramus, nec non Deo
gratias agimus quod viros quosdam excellen-
tes ad defendendum veram de Christo doctri-
nam excitet, qui non tantum quid verum et sa-
cræ scripturæ consentaneum sit, doceant, ve-
rum etiam contra adversarios veritatem
cœlestis doctrinæ de Christo Diabolico im-
petu destruentes, viriliter certis divini ver-
bi testimoniis instructi pugnent. Ejus rei in-
fallibile testimonium sunt cum Tuæ Reveren-
tiæ literæ proxime ad nos et cæteros vici-
nos Theologos missæ, tum adjuncta Apologia
libri concordiæ perscriptis vestris Calvinistis op-
posita: quæ quidem utraque scripta singula et
cum gaudio et animi gratitudine accepimus,
legimusque et tanta quanta per Dei gratiam at-
tentione à nobis brevi isto tempore fieri potu-
it, in timore Domini perpendimus. Cum autem
præterea à nobis etiam petatur, ut de volunta-
te nostra, ac de toto negotio per literas Reverenti-
am Tuam edoceamus, ut habeat quod Illustrissimis
Electoribus respondere possit, hac in re Reverentiæ
Tuæ morem gerere nullo modo detrectavimus.
Respondemus itaque impulsi certis causis aliquanto se-
rius, sed tamen, ut speramus, satis tempestive, nobis
summopere probare consilium electorum ab ipso-
rum legatis in visitatione Academiæ Jenensis pro-
positum, nec non paulò post deliberationem in
hac Religionis causa Erphordiæ à quibusdam The-
ologis susceptam, inde certam colligentes Christi

in medio Ecclesiæ suæ stare principium quorun-
dam et doctorum Theologorum animos et consilia
gubernare, qui in publicis scriptis sese atrocibus
Sacramentariorum calumniis opponere audeant,
ne quod à Calvinistis desideratur, et summis viri-
bus quæritur, in actum producatur. Ad apologiam
verò ejusque capita quod attinet, videmus singulari
diligentia Antagonistarum calumnias et argumenta
ultrò citròque conquisita atque ita nervosè ex sacræ
scripturæ et orthodoxorum patrum testimoniis eius
confutata esse, ut qui oculos Soli justitiæ tanquam in
ipso veritatis meridie splendenti contumaciter præ-
cludere velit, meritò illius radiis tactus et illustratus
et convictus acquiescere possit et debeat. Ast metuen-
dum est, ne id, quod optimo consilio contra hostes
veritatis susceptum est frustra tentetur, et saltem
verba verbis, scripta scriptis commutentur. Quis
enim omnium turbulentorum ventorum flatus pot-
est compescere? Quis omnium rabulorum homi-
num ora obturare? Sed propugnabit Ecclesiam
suam is, qui ait: Portæ inferorum non prævale-
bunt adversus eam, et hac consolatione nos erigimus
veritatem in omnibus et super omnia Deo justo
judice in æternum vincere. Oppugnari quidem,
sed opprimi et expugnari nunquam posse. Et quam-
vis minimè speremus, omnes hac Apologia ab erro-
ribus suis in viam veritatis retractum iri: tamen
nonnullos fore confidimus, qui vel hac nostræ doctri-
næ defensione adducti in agnita veritate confirma-
buntur, vel inexpugnabili veritate victi ab invetera-
tis erroribus suis ultrò sunt discessuri, præsertim
si perspexerint suarum calumnias nullis niti fir-
missimis fundamentis, sed apertæ veritati meris

conviciis repugnare instar Diaboli: ut enim hic —
coelestem veritatem pro ingenio suo (: quia aliter non
potest:) calumniatur: Ita et illi eidem contumaci-
ter resistentes, ex instinctu genuini sui patris calumni-
atoris ministrorum, nihil aliud faciunt, quam ut verita-
tem meris calumniis et tot confictis mendaciis ob-
ruant, adversus quam tamen ne quidem inferorum
portæ quicquam prævalebunt. Christo id testante,
qui ipsa veritas est, cujus majestatem et omnipot-
entiam secundum humanam naturam (: eo namque omnia
ipsorum scripta tendunt:) subvertere conantur.
Verum enim verò ipsis etiam invitis in hac Apo-
logiæ scriptione mirabilem Dei sapientiam omnia
ita regentis, conspicimus, ut quod valdè necessarium
fuit, tandem miris adversariorum machinationibus
nobis Theologis nostris exortum fuerit. Nam quod
olim Augustanæ confessioni accidit, ut constantis
Apologiæ editione propter iniquos adversariorum clamo-
res opposita videretur, idem etiam libro nostro con-
cordiæ evenire videmus, qui cum multis adversari-
orum scriptis hinc inde volitantibus impetitus fuerit,
iis ex Diametro gravis Apologiæ, ut opponeretur,
rei necessitatis postularet quæ uti modo conscripta
est summam meretur laudem. Ea n. ita contexta est,
ut non solum hostium argumenta et criminationes for-
titer demoliatur, verum etiam ipsum concordiæ librum
multis in locis uberrimè explicet, et constabiliat, et
modo, ut non immeritò titulo uberioris declarationis
locorum de persona Christi, et ejus sacra Coena insigni-
ri possit. Præterea quod iis articulis contraria
quasi uno fasce colligata et in unum librum conjecta
optimè confellantur et refutentur, id quod maximo
cum Ecclesiæ commodo factum statuimus. De his au-
tem aperte judicare, in dicendo, quid vel pendendum

demendum vel corrigendum non est, quorundam seditiosorum
tantum, qui adversariorum scripta undique sparsa imple-
gere, tum de iis recte judicium facere potuerunt; iis
qui hoc fideliter praestiterunt maxima à nobis, adeoque
à tota Christi Ecclesia debetur gratia. Quamobrem ni
ne Epistolae metas transgrediamur, censemus finem impo-
nendumque: et cum nihil inveneritur in ipsa saepe nominata Apologia
quod libris Canonicis tam veteris quam novi Testamenti
atque jam praememoratae concordiae libro caeterisque illi adjun-
ctis de doctrina Christiana monumentis contrarium fu-
erit, nam communi omnium nostrorum consensu accepi-
mus atque acceptam sine omni sophistica approbamusque. Atque
adeò etiam à nobis factam approbationem, si res ita tulerit,
et postulaverit, deinceps publicari haud recusamus.
Quod enim verae doctrinae et sanctae concordiae amantissi-
mi et ad hoc pium et salutare negotium pro virili nostra
provehendum propensissimi memores praecepti Pau-
lini, ubi inquit: obsecro vos per nomen Domini nostri
Jesu Christi, ut idem loquamini omnes, et non sint in-
ter vos eadem sententia. Oramus itaque aeternum patrem
ardentissimis votis et gemitibus, ut ipse lucis et largi-
tor omnis boni, hoc ipsum negotium ad nominis sui glo-
riam et Ecclesiae salutem dirigere et perficere digne-
tur, quo Christi ejus filii regnum quotidie augeatur, Dia-
bolo autem destruatur: veritas divini verbi propagetur,
Christiana et grata Deo concordia instauretur et [illegible]
itaque multi per unicum Jesu Christi meritum, quod est
unica via ad patrem, verbis et vita in aeternum salvi fiant.
Haec quamvis serò à bono profecta animo ad reverendam
tuam dignitatem scribere voluimus, cum tamen illud fieri non
potuerit quin [illegible] in virum [illegible] literis Principis [illegible]
ad Senatum nostrum misit, quibus [illegible] debebat, ut quos
dam è nostro Ministerio [illegible] 9. die Maij. Praete-
rito, allegaret adscriptae Apologiae selectionem et di-
judicationem una cum aliis illius urbis Theologis mit-
tendam; qui tamen in dies paulo post in posteriorique
literis prorogatum est in aliud tempus, quod nondum definitum

hac de causa at princeps scripsit, quod Theologi Misnen-
ses nondum sese declarassent, et multa essent, quae
[illegible] ante Apologiae publicatione
proponerentur et Concordiae libro et ejus Apologiae
magnum allatura essent detrimentum et totum opus
penitus confusum. Quid igitur nobis faciendum esset, sub-
dubitantes donec consuli nostro [illegible]
[illegible] [illegible] necessarium fore, si quidem Apolo-
gia dudum nobis à [illegible] R. transmissa et à nobis lecta
esset. Quid tamen facto opus sit hac in re, quandoquidem
à Principe illud petitur, R. T. consilium audire
cupimus, de nostris tantum cogitationibus stantes plus
minusve quam de mente faciamus. Certo nos spes habet,
R. T. consilio suo nos haud quaquam destituram. Göt-
tingen, XVI. Cal. Junij A°. 1582.

Ecclesiae Göttingensis Ministri.

51) Von Gottes gnaden Julius Hertzog
zu Braunschweig und Lüneburg

Unsern gnedigen grus zuvor, Ehrsame
wirdige liebe getrewe und [illegible], ihr
habt euch zu erinneren, was wir neben christlich
[illegible] [illegible] etlichen fürnembsten
Churfürsten und Stände der Augspurgi-
schen confession [illegible] einer christlichen
durchgehenden Concordien halben in Reli-
gions sachen unter ihnen [illegible] und ihnen [illegible]
eine geraume zeit hero fürgehabt, was wir
auch derhalben [illegible] an euch gelan-
gen lassen, und ihr euch mit überschickung
einer Theologen subscriptionum erkleret
und erholten [illegible] nach ist im October
des nechsten abgelauffenen 79 Jahrs, von den

Dreyen